



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutiones Morales

In Quibus Vnivers[a]e Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

35. De Triennali Beneficij possessore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

possessorem in iudicium vocare commode nequit, quia sit ille, vel tam potens, vel ferus, ut nemo ad ipsum citandum audeat accedere? Maxime: nam lis pro contestata habetur, quando per eum stat, ne lis ei intendatur. *l. Si eum. ff. Si quis cautionib.* Ego reus pro citato habetur, quando ipse in causa est, ut non citetur. Par quoque ratio videtur, *teste Gomezio q. 14. & Robuffo Glossa 14.* cum propter bellum, vel aliud simile impedimentum, impetrans Annalem possessorem in iudicium intra sex menses vocare nequit: sed hic tamen temporis terminus Romani Pontificis indulgentia solet prorogari antequam fluxerit; postea enim prorogari non potest. *l. Sed si momento. ff. de Precario.* In Franciæ tamen regno, ut testis est *Robuff. Glossa 14.* sufficit, si impetrans intra annum agat iure possessionis coram iudicibus regijs.

Decimo quinto queritur, à quo tempore computetur annus: dicente Regula: (*Causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam definitivam inclusivè persequi debent*.) Computari debet annus à die, quo impetrans Annalem possessorem, ad iudicium vocavit. Hoc expressim significant illa verba: (*Causamque ex tunc*.) ac ita sen. s. l. l. Auditoris in Rota refert *Mandolius qu. 72.* Hunc etiam temporis terminum solet Pontifex prorogare. Regula etiam dicit: (*Ex tunc persequi debent*.) non ait, (*absolvere, & finire*) hoc enim non est in litigationum potestate, sed iudicium. Sufficit igitur, si per impetrantem non steterit, quominus infra annum lis, & controversia dirimatur. Item, culpa etiam vacat impetrans, si intra annum litem prosecutus non sit, vel quia cesserit, vel quia obierit. Ita *Robuff. Glossa 15.*

Decimo sexto queritur, Quid iuris habeat in beneficio Annalis possessor? Respondeo per hanc Regulam ius, & titulum novum non acquirere, sed tantum posse Annali possessione se tueri ad excludendum eum, qui ipsius beneficium impetrauit, eo quod non expresserit ea, quæ in hac Regula præscribuntur, siue ratione possessionis Annalis, siue subreptitiæ impetrationis. Et tunc spectant verba illa Regula: [*Alioquin impetratio prædicta, & quæcumque inde secuta nullius existant firmitatis.*]

Decimo septimo queritur, Quid significant illa verba Regula: (*Nec alius quam præmissa vacationis modus, etiam per litteras, si neutri, & reliqua.*) Respondeo, mentem Pontificis esse: prohibere impetranti, lite pendente, ne alium vacationis modum exprimat per litteras (si neutri: si nulli, subrogationis perinde valere,) aut alias: ita vt post litem contestatam, tales à Pontifice litteræ impetrati non possint, perinde ac si beneficium esset litigiosum.

CAP. XXXV.

De trienniali beneficij possessore.

Regula Cancellariæ de trienniali possessore sic habet: *Item voluit, & ordinavit Dominus noster, quod si quis quæcumque Ecclesiastica beneficia, quæcumque sint ab aliquo simoniacò ingressu ex Apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, & electionis huiusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum huiusmodi collatio, præmissa, electio, & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possiderit, dummodo in beneficijs, si dispositioni Apostolica ex aliqua reservatione generali in corpore Iuris clausa, reservata fuerit, se non intruserit, super huiusmodi beneficijs saltem possessis molestari nequeat: necnon impetrationes de beneficijs ipsijs sic possessis factas, irritas, & inanes censuri debere decrevit: antiquas lites super illis motus penitus extinguendo.* Hactenus Regula. Huius Regula primus auctor fuisse fertur *Callistus III.* quem posteriores deinde Pontifices sunt imitati.

Primo queritur, An hæc Regula solum defendat eos, qui sunt beneficiorum capaces, si per triennium beneficium possiderint? An vero etiam eos, qui non sunt com-

petes beneficiorum? Dux sunt opiniones. *Gomezius q. 2.* spurium triennale possessorem affirmat huius Regula privilegio gaudere, & *quest. 3.* eadem vult Regula defendi feminam munerem, & officio Abbatis, vel Prioris fungentem, quando cumque est dignitas perpetua auctoritate Romani Pontificis in titulum, vel administrationem dari solita. Et *q. 10.* similiter, ait eiuſdem Regula prærogatiua potiri eum, qui Parochialem Ecclesiam adeptus, & intra annum ad sacerdotium minime promotus, per triennium postea possiderit: & eum etiam, qui duo, vel plura beneficia simul obtinet, quæ iure haberi nequeunt. *q. 15.* asserit, Clericum minorem annis quatuordecim, huius Regula exceptione iuvari. Denique Auctor ille concludit, generatim hæc Regula defendi triennale possessorem beneficij, modo titulum verisimilem ac probabilem, quem coloratum appellant, is habeat: *Qualis*, inquit, est ille, qui datur ab eo, cui beneficij conferendi potestas commisit, sine i, cui beneficium conceditur, sit iure beneficiorum capax, siue non sit. *Dubius exceptis, quos ipsa Regula expressit, hominum generibus: simoniacò videlicet beneficij possessore: aut beneficij Papa reservati generali reservatione in corpore Iuris contenta intruso possessore.*

Altera est opinio: per hanc Regulam tantummodo defendi triennale possessorem, habilem tamen, & aptum iuxta Canones ad beneficia obtinenda. Sic *Robuffus de Pæficiali possessore. nu. 206. & sequentibus:* & antiquus Glossæ Auctor ita scribens: *Cum in hac Regula dicitur: (Si quis, &c.) intelligere debet de habilibus alioqui iure ad habenda beneficia: quia Iura loquentia de personis, intelliguntur de idoneis. l. Ve gradatim. ff. de numeribus, & honori. &c. Euanthius, dist. 55. Ideo, inquit, si laicus possideret, vel spurium, vel mulier, hæc Regula locum non haberet in eis.* Sic ille. Vnde contra *Gomezium Robuffus* infert tanquam absurdum, non solum spurium se huius Regula exceptione iuvare posse per triennium, beneficium sine lite possidentem, sed etiam laicum, feminam, & virum coniugij vinculo adstrictum, Bigamum, Hæreticum, Infamem, pæsum nondum ad legitimam ætatem prouectum, membro, vel corpore vitiatum, vt Canones vocant, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententia obstrictum, vel irregularitate affectum. Necnon, & eadem Regula patrocinium afferret Clerico seculari absque legitima auctoritate beneficium Regulare, & Regularis Clericus beneficium seculare per triennium pacifice possidens: Is item, qui beneficium viuentis impetratum triennio sine lite possideret, quæ omnia videntur absurda. Præterea, cum lex dicit, (*quicumque*.) vniuersim accipienda est de omni eo, qui aptus scilicet, & habilis est. His accedit, quod cum in lege statuitur, à debitore posse debitum exigi quocumque loco vel tempore: intelligitur, alioqui iure idoneo loco, vel tempore. Postremo, possessio quamvis longissimi temporis, non tribuit ius possessori, alioqui iure beneficij impoti, & inepto. *capit. causam. capit. Accedentes. de præscriptioni. & ibidem Panormitanus & Felinus.* Hanc ego sententiam, vt rationi magis congruentem probō, & amplector.

Secundo queritur, An huius Regula bono frui possint etiam ij, qui non sunt intra annum ad Sacerdotium promoti iuxta *c. Licet, & c. Commissa. de elect. in sexto.* Aut qui contra Canones, & Iura, plura simul incompatibilia beneficia possident, contra ea, quæ habentur in *cap. de multis. de præbend. & Extravaganti Ioannis vigesimi secundi. Excerabilis. de præbend.* *Gomezius questione decima* affirmat, *Robuffus* negat. *Nauarrus* patet in *ca. Accepta. de restit. spoliat. opposit. 8. num. 9. & 10.* magis probare videtur *Gomezij* sententiam: quoniam licet Regula non defendat, nisi iure habiles, & aptos ad beneficia, non continuo inde sequitur, vt excludantur non promoti intra annum ad Sacerdotium, aut plura contra Canones beneficia incompatibilia habentes: quia hi alioqui beneficiorum capaces sunt, quamvis iure ipso suis beneficijs priuati, ob Sacerdotium intra annum ab eis minime susceptum, vel ob

plurium citra legitimam causam beneficiorum incompa-
tibilium possessionem.

Hæc opinio præstare videtur ea ratione, quod hi Clerici alia ex parte habiles aptique sunt ad beneficia, licet non ex ea parte, qua iure Canonico beneficij deiciuntur, quia intra annum non sunt ad Sacerdotium promoti: vel quia cum priori beneficio alterum consequuntur, quod cum illo simul iure haberi minime potest. Pariratione, *sic Nauarrus loco citato*, huius Regulæ patrocinio tæcni queant, qui triennio beneficium possident: quia tamen iure ipso privati sunt, ob pensionem ab ipsis minime solutam, aut dimidiam partem fructuum debitam apud se retentam: aut qui per vim beneficij, cui cura animarum inhaeret, possessionem nacti fuerint, & privati sunt ipso iure, *intra id quod habetur in cap. Eum qui de prebend. in sexto*, priori simili beneficio, quod habebant, & quicumque alij iure ipso beneficio, quod obtinent, spoliati, si per triennium nihilominus absque vlla lite postea possederint: se enim defendere possunt excipientes, vel uouos titulos, vel Romani Pontificis Indulgentiam, dummodo manifeste non constet eos esse titulo priuatos per sententiam Iudicis, vel propriam confessionem in iudicio, vel euidentiam facti. Idem iuris est de ijs, qui male promoti dicuntur: quales sunt qui sine literis dimissorijs, vel extra tempora, vel per saltum, vel furtim, vel vno die plures ordines sacros susceperunt.

Tertio quæritur, An hæc Regula tutum reddat eum qui beneficium citra litem vllam triennio possidet, per sententiam iniquam, quæ tamen in rem iudicatam non transit, obuentum? Gomezius affirmat, sed Rebuffus negat. At ego priorem sententiam veriorē existimo: Ratio est: quia hæc Regula trienniali possessori titulum non dat, sed tantum exceptionem, qua beneficij possessionem defendere queat contra aduersarium litem ei intendentem, aut eius beneficium impetransem: & Pontifex in Regula voluit, ne qui per triennium sine lite beneficium possidet, molestia afficiatur.

Quarto quæritur. Quid sit de beneficio dicendum, quod quis per annum sine lite possiderit, in eoque alteri successerit, qui & ipse illud per biennium absque omni lite possiderit: secundus ne possessor beneficij vnum illum annum, cum duobus, quibus primus beneficium possedit, iura conscientia coniungat? Assentior Rebuffo, & Gomezio, hanc Regulam secundo possessori fauere negantibus: quia primi titulus possessoris, omnino est per eius obitum extinctus, ac proinde per secundum possessorem nequit continuari. Non est tamen idem iuris in præscriptione, & vsucapione aliarum rerum civilium, & profanarum, in quibus, nemine dissentiente ijs, qui succedit alteri, uti & gaudere potest accessione annorum, quibus ille est usus. *l. Pomponius, ff. de acquir. posses. c. l. iam tempus, ff. de vsucapionib.*

Quinto quæritur, An qui probauerit, se primo anno beneficium sine lite possidisse, & tertio itidem probet, esse censetur possessio per triennium continuata? Censetur, teste Rebuffo, quem & sequor: fauet ratio, quia in iudicio, cum de duobus extremis constat, prob constanti quoque medium habetur.

Sexto quæritur, An si Titius, verbi gratia, biennio possideat beneficium, & deinde id alterius gratia & fauore dimittat, sed quia irrita facta est resignatio, redijt ad suum beneficium, quod postea per annum, vlla sine lite possedit, iustam ab hac Regula habeat defensionem, ita ut duos annos priores, cum tertio coniungat? Rebuffus *tractatu superius allegato, num. 327*, eam vnam ob causam negat, quod possessio fuerit interrupta, & per resignationem titulus extinctus, cum beneficium vacauerit. Secus alij opinantur, quia Titius, verbi causa, ad suum beneficium reuertitur, tamen non ei denuo conferatur: unde, & beneficium non per ipsam resignationem vacauit, quia fuit ea cōditio dimissum, ut resignatarius illud haberet:

qua non me seruata, suum Titius beneficium dimississe non videtur.

Hæc quæstio, ex ea pendet quæstione superius à nobis exposita: An cum quis alterius gratia beneficium depolit, nullaque est resignatio, restitatur in suum beneficium noua Superioris auctoritate, An vero licite suum ad beneficium propria auctoritate reuertatur? Verum quid, quid isti, illive opinantur: quantum mihi quidem videtur, Titius iura conscientia ad hanc Regulam potest accedere patrocinij causa: is enim beneficium dimisit non absolute & simpliciter, sed ut Cæso dixerit, ac idcirco non se iure tituli abdicauit, non impleta conditione: sicut & ipse Rebuffus, *num. 324*, concedit, posse hæc Regula Titium uti, qui metu suum dimittit beneficium, in quo deinde restituitur absque noua sui beneficij concessionem.

Septimo quæritur, An ut quis patronam sibi hanc Regulam habeat, ei sufficiat triennio extra litis, & controuersæ molestiam, maiorem partem fructuum beneficij possidisse? An vero etiam sit necesse, ut omnes beneficij fructus, sine lite perceperit? Ait Rebuffus, *n. 202*, & recte sufficere, si maiorem fructuum partem tribus annis colligat: nihil enim impedit, de aliquo præiudicio beneficij, vel alia qualibet re parua ei litem intendit: ut Glossa *in cap. Comm. ff. de elec. in 6. animaduertit*.

Octauo quæritur, An eadem Regula ius, & titulum beneficij possessori tribuat? Duplex est opinio: quarum altera negat ob ea verba Regulæ, quæ solum possessionem videntur significare: (*Ut qui per triennium pacifice beneficium possiderit, molestia vexari non possit*.) Ergo solum alijs impetrandi eius beneficium facultas denegatur. Deinde, solum possessori conceditur, ut in iudicio possit excipere contra aduersarium, si triennij spatio quiete atque pacifice se beneficium possidisse probauerit.

Altera est opinio, per hanc Regulam ius, & titulum in beneficio triennalem possessorem acquirere: quod triplici ratione demonstrat. Primo, quia hæc Regula est ob communepacis bonum constituta, ad lites dirimendas, quæ sic minores, & pauciores esse solent.

Deinde, quia ad communem populi salutem pertinet, plebs ut suum pastorem agnoscat: qui nisi triennis possessor haberetur, anceps animi esset.

Postremo, quia sicut ius civile per vsucapionem, rerum dominia alijs adempta ad alios transferunt: sic etiam Romanus Pontifex, qui libertam beneficiorum administrationem tenet, potest beneficia his adimere, & illis conferre: potest igitur per hanc Regulam decedere Pontifex, ut talis possessor beneficij, qui per triennium nulla prorsus lite, & contentione possidit ius & titulum acquirat, quamuis antea adeptus non fuerit. Hæc sententia mihi magis probatur.

Nono quæritur, An possit loci Ordinarius inquirere in Triennalem possessorem, & ex eo, iuris & tituli, quod habet beneficij, rationem cognoscere? Affirmat Gomezius, contendens, possessoris ius, & titulum in beneficio per hanc Regulam non dari. At Rebuffus *tractatu superius allegato, numero vigesimo secundo*, negat ordinarium loci, ius vllum habere inquirendi, eo quod hæc Regula ius & titulum possessori tribuit.

Quare licet ordinarius titulum ab eo beneficij exquirens, cognouerit vero eum titulo caruisse, nequit tamen suo cum beneficio spoliare, quia triennis sine lite possessio, dictum possessorem iure, & titulo legitimo donat.

Alijs hæc sententia in dubio versari videtur, quod ad interius illa conscientia forum pertinet. Aiunt quidam in iudicio possessorem defendi contra eum, qui beneficium eius impetrat: & contra loci ordinarium, cum ne possessione deiciat: valde tamen, inquit, dubium est, An Regula ius, & titulum eiusmodi possessori trienniali quieto, & pacifico concedat: solum enim denegat actionem: qua possessorem quis possit

lice, & molestia liberare. Mihi sententia Rebuffi placet.

Decimo quaeritur. Quenam Regula Intrusum intelligat, dicens: (*se non intruserit*) Quis dicatur in beneficium intrusus, docent Dominicus *e. propter. dist. 19. Felin. e. Veniens. n. 2. Et 3. de Accus. Ioan. Selua, de benef. par. 1. q. 11. n. 9. Et 10. Rebuf. in praxi Beneficior. par. 11. in Regul. de vniuersal. poss. q. 47. Respondeo itaque Intrusum stricte eum, qui sine auctoritate eius, cuius est beneficium conferre, se in beneficium immittit, & intrudit. *e. Ad aures. de excess. Pralat. Vnde qui nullum profus in beneficio ius, & titulum habet, Intrusus vocatur. e. Quia diuersitatem. de concess. Praben. Qui etiam sine titulo se in beneficij administrationem intret, Abbas in c. Cum iam dudum. de praben. Qui itidem, sine Canonico titulo, vel per vim beneficium occupat, & inuestit. *e. Eum qui. de praben. in 6. Hi omnes intrusi vocantur: nec fisti postea beneficium impetrant, valet impetratio, nulla facta ab ipsis mentione suae in beneficium intrusionis. Abbas cum aliis in c. 1. de concess. prab. Secundo, vocatur etiam Intrusus, qui post electionem ante beneficium administrat, quia ipso iure acquisitum ius amittit. *ca. Auaritia. de elect. in 6. Tertio, qui beneficium adhuc retinet, postquam ab eo per Iudicis sententiam amotus. Immo in c. Qualiter. 2. de accusat. nisi ab ea sententia ad Superiorem iure pronoucauerit. Quarto, qui beneficium inique alteri ademptum, & omisso iuris ordine detinet, intrusus censetur. *e. Tanto. de excess. Pralat. Quinto, qui a Superiore vinculo excommunicationis, interdicti, vel suspensionis ab officio obstituto, beneficium adeptus est, vel ab eo, qui conferendi potestatem non habebat. *e. vlt. de excess. Pralat. Dominicus in c. vlt. dist. 19. Sexto, dicitur intrusus, late sumpto vocabulo, qui crimen admittit, quo meretur, vt a beneficio amoueat, vel qui vitium habet, cuius causa sit beneficio spoliandus. *Glos. in c. Cum super. de causa posses. Ioan. Selua in tract. de benef. par. 3. q. 11. n. 9. Felin. in c. Veniens. de Accus. Hunc tamen modum Rebuffus non admittit in praxi beneficior. in Regu. de subrege. colligam. 4. n. 14. quia talis Beneficiarius, antequam Iudicis sententia beneficium amittat, ius & titulum habet, ergo intrusus non est, concedit tamen ille pro intruso habendum, qui crimen commisit, ob quod est ipso iure, beneficij priuatus. Sed reuera Glossa, Ioannes Selua, & Felinus de hoc eodem homine intruso locuti esse videntur. Septimo, intrusus dicitur, qui beneficij possessione nanciscitur, sine litteris Pontificijs, quamuis per impetrationem a summo Pontifice simpliciter obsequatam. *Felin. in c. In nostra. de rescrip. Hunc etiam modum Rebuf. excludit, quia Iure Canonico non probatur: nam licet, inquit, extet Constitutio Bonifacij VIII. quae incipit: *Inimula*, & habetur inter communes Extrauagantes, *de elect. ex qua constat, intrusos censeri, qui possessionem consequuntur absque litteris Pontificijs: ea tamen Constitutio tantum de maioribus loquitur dignitatibus: quales sunt Episcopatus, Abbatie & Prioratus. Verum enimvero, hic Rebuffo aliud sentiente, praeterito: extant aliae Romanorum Pontificum Constitutiones, decernentium vtj pro intrusis habeantur, qui litteris Pontificijs minime expeditis, possessionem adipiscuntur quorumlibet beneficiorum, quae impetrantur a Papa: & quia tales Constitutiones in Francia receptae non sunt, ideo Rebuffus, vt pote Gallus, scriptum reliquit, hos minime pro intrusis haberi. Nec aliud est sentiendum de eo, qui absque legitima institutione, beneficij fructus percipit: nam co ipso facto priuatur iure, quod habet in eo beneficio, *ca. Auaritia. de elect. in 6. quare beneficium impetrato, debet huic rei facere mentionem. Octauo, intrusus habetur, qui simpliciter nominatus, vel praesentatus, sed Canonice minime institutus, beneficium administrat, & ipso facto est priuatus beneficio, *e. Auaritia. de elect. in 6. Nominatio etenim, vel praesentatio ius non tribuit in beneficio. cap. Quod sicut. de electione.***********

IOANNIS AZORII LOR- CITANI E SOCIE- TATE IESV,

INSTITVTIONVM MORALIVM Pars secunda:

LIBER OCTAVVS.

De spoliis Clericorum, & Pensionibus Ecclesiasticis, ac de Ecclesiarum bonis alienandis, vel non alienandis, & de Ecclesijs, vel Cappellis aedificandis, & de alijs Ecclesiarum bonis.

CAPVT I.

Quo iure spolia Clericorum Romano Pontifici debeantur.



Niger iam haecenus de beneficijs Ecclesiasticis materiam, fuisse, & late patentem, quae potuimus breuitate tractauimus. Sed quia cum illis pensiones Ecclesiasticae, & spolia Clericorum, & reliqua Ecclesiarum bona sunt quadam affinitate coniuncta, eo quod sint, vel beneficiorum fructus post obitum Beneficiarium relictis, vel portiones ex ipsis beneficijs percipi solent, vel Ecclesiarum possessiones & res: ideo hoc libro, Deo nobis opem ferente, de his omnibus breuiter agemus, ac primo quidem de spolijs, deinde de pensionibus: Postremo, de rebus, & bonis Ecclesiae non alienandis.

De spolijs Ecclesiasticis tractatum edidit Gulielmus Redoanus veriusque Iuris Consultus in 17. quaest. diuisum. Navarrus quoque de spolijs Clericorum Commentarium scripsit super *e. Non liceas Papa. 12. q. 11.*

Primo quaeritur, Quenam Clericorum bona veniant appellatione spoliiorum? Respondeo, spolium proprie dici: apud Scriptores Latinos, quicquid hostibus detrahitur, vt in id Virgilianum Seruius notauit:

Et spolia ampla referat.

Vnde spolia opima dicuntur, quae dux duci detrahitur cruenta, quae non sine sanguine hostibus auferuntur: At vero spolia Clericorum dicta sunt ea bona, quae Clericis vita sanctis, Romani Pontificis auctoritate, Fiscus Apostolicus accipit, ne ad eorum haeredes, futurosque in beneficio successores transmittantur.

Secundo quaeritur, Quo modo haec spolia definiantur? Difficile est sane, quae in Iure tum Ciuili, tum Canonico tractantur, velle Philosophorum more, plene scilicet, & exacte definire: quare potius haec spolia describi possunt, quam definiti: Ita vt sint ea bona a Clericis quibuslibet etiam Religiosis ratione, & iure Ecclesiae acquisita, vel ex negotiatione contra Canones comparata, & post obitum relictis. Sic Redoan. *quast. 1. de spol. Eccl. num. 7.* Dicitur: Bona, tanquam genus: spolia enim Clericorum, bona sunt: non tamen e contratio, vniuersa Clericorum bona, sunt spolia. At bonorum nomine generatim accipiuntur bona tum mobilia, vel se mouentia, tum immobilia: Iura item, & actiones, & corpora, quocumque nomine censeantur. haec enim omnia generalia bonorum voca-